



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Hieronymi Dandini Cæsenatis E Societate Iesv De Corpore
Animato Lib. VII.**

Dandini, Girolamo

Parisiis, 1611

Digressio 37. De natura luminis, ad tex. com. 92.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95641)

si ueres quæpiam alia, perinde ostenditur, lumen nil aliud esse, quàm qualitatem. Quoniam & vim habet agendi sibi propriam, & est obiectum per se solo aspectu sensibile, ac demum intenditur & remittitur: quod exceptis elementorum formis, quæ in missione refrangi debuerunt, nulli omnino substantiæ neque quantitati conuenit; sed qualitatibus proprium est.

TEXTVS.

Καὶ ἐν ὁμοίᾳ Ἐμπεδοκλῆος, οὐδ' εἴ πε ἄλλος οὕτως εἰ-
ρακεν, ὅς φερεῖται τῷ φασί, ἢ γρηγοῦν πρὸς μεταβῆ τῆς
ἡσυχίας τῷ παρὶχόρτος, ἡμῶς δὲ λαμβάνοντος. Ἰσο γὰρ εἶναι ἢ
παρὰ τῷ ἐν τῷ κέντρῳ ἀλλοτρίαν, ἢ παρὰ τὴ φανερῶν ἐν
καρπῷ μὲν τῷ διασημαίν λαδοῖαν ἢ παρὰ τὴ ἀπὸ τῆς δὲ πρὶ δὲ οὐ-
μας, τὸ λαμβάνειν μὲν γὰρ τὸ αἴμα.

Et non recte Empedocles, neque si quis alius sic dixit, quod feratur lumen & producatur inter terram & continens, nos autem lateat. Hoc enim est & præter eam, quæ in ratione veritatem, & præter ea, quæ apparent. In paruo cuiuspiam latere fortasse: ab oriente autem in occidente latere, magna valde petriio.

COMMENTARIVS XCII.

Postquam quidam sit lumen ostendit; eamque opinionem confutauit, quæ Platonis fuisse creditur, lumen esse corpus aut defluuium corporis: alteram quoque reprehendit, quæ fuit Empedoclis. Is enim aut si quis alius sic dixit (nam in Timæo Plato visus est lumen dicere per effluxionem ad nos venire) lumen affirmavit à cælo ad terram & aërem illi circumiectum paulatim moueri, perque omnia hæc corpora, quæ sunt inter terram & cæelum continens, moueri & extendi cum tempore; prius in vna parte, quæ illuminantico corpori propinquior fuerit; deinde in alia magis remota. Eam tamen esse motus celeritatem, vt à nobis minimè obseruetur, neque percipiatur.

Hæc opinio hoc præsertim loco reprehenditur; quoniam ex eodem illo principio deriuata est; quod & ipsa lumen crederet esse corpus, & idèd moueri de loco ad locum; idque paulatim & cum tempore, quemadmodum mouentur corpora. Principium & fundamentum huius opinionis prætermittens Philosophus tamquam superiore argumentatione iam destructum; id aggreditur, quod ex eo deducebatur. Et tacite quidem hoc obicit: si lumen cum tempore moueretur, id à nobis procul dubio cognosceretur; quemadmodum reliqua corpora, quæ mouentur, moueri omnia cum tempore animaduertimus. Atqui nullum in eo cognoscimus motum, sed momentaneam mutationem: neque esse motum de loco ad locum, sed subitam potius alterationem iudicamus.

Quoniam verò Empedocles hoc argumentum viderat, diluereque conatus fuerat; lumen inquiens moueri cum tempore, sed tempus à nobis propter motus velocitatem non percipi: hoc ipsum, quod diluendo responderat, aperta oratione confutat. Nam hoc & rationi aduersatur, & sensui. Sensui quidem, quia subito cernimus totum illuminari: rationi autem; quoniam etsi fortasse in paruo aliquo spatio (adde etiam minuti alicuius corporis) motus quispiam minimè sensibilis fieri pos-

set: in tanta tamen vastitate, tum corporis moti, tum distantia, quanta est ab ortu ad occasum & à cælo ad terram, fieri nulla ratio permittit: immò nullo modo fieri posse suadet: præsertim cum lumen ipsum tam vastum esset & immensum corpus. Quare si vt hoc credamus nobisque persuadearus ita esse postulet Empedocles; magna prorsus petitio est, magnum postulatum. Etenim absque demonstratione peteret, vt ratione sensuque repugnantibus quidpiam illi concederemus.

Potest & alia esse horum verborum expositio. Hoc, quod Empedocles asserit, aduersatur ei, quæ in ratione est, veritati. Quia dum lumen à loco moueri & cum tempore, aduersatur illi veritati, quæ necessaria ratione demonstrata fuit, lumen non esse corpus. Moueri enim eo modo non potest, nisi sit corpus. Pugnat etiam cum iis, quæ videntur: quia totum sublunare perspicuum subito illuminari conspiciamus.

Lumen non esse corpus.

Ceterum vniuersa hac Empedoclis confutatione rursum confirmauit Philosophus id, quod antea demonstrauerat, lumen non esse corpus. Si enim esset corpus, moueri ipsum oporteret, vt à cælestibus ad inferiora descenderet perque totam hanc perspicui latitudinem extendere: & quidem cum tempore, cum omnis motus egeat tempore. At nullum in illuminatione tempus est; sed omnia hæc corpora & eorum partes singule, tum propinquæ, tum remotæ, simul illuminantur: non igitur illuminando mouetur, neque omnino est corpus.

Digressio xxxvii. De natura luminis.

Lumen non esse corpus, demonstratum est. Quid igitur fuerit: Nimirum aut emphasis tantum & apparetia coloris; aut forma quæpiam à lucido corpore in perspicuum deriuata. Sanè non defuerunt qui nil aliud, quàm colorati solis præsentiam, esse dicerent; solemque illuminare, non esse affirmarēt eum quidquam extra se producere; sed aspectui nostro præstantissimum illius colorem representari. Quorum hominum opinio tum solem & cælestia corpora colorata esse accipit, tum sensui aduersatur. Agit enim solis lux in aspectum nostrum, nimumque lædit: nimirum forma quæpiam in medio producta. Corpora etiam perspicua sunt item conspiciua; vt aqua, cristallus, vitrum; quæ cum omni colore careant, reliquum est, per lumen sibi communicatum videri. Idèd lumen vt colorem esse perspicui affirmavit Philosophus. Denique cum lumen in aëre nostrisque corporibus gignat calorem; necesse est ibi adsit, vbi operatur, spargaturque per aërem & ad nostra quoque perueniat corpora. Nihil enim agit vbi non est, neque actio sine agentis patientisque contactu constat. Aristoteles verò tum in superioribus lumen definiuit actum esse perspicui & velut habitum illi præsentem tenebrasque pellentem, atque id, quod erat potestate, facientem actu. Et deinceps in tex. 74. propterea grauitè reprehendit Democritum, intercedente vacuo asserentem fieri visionem posse: Quoniam patièdo videmus: patièdo inquam non à colore, sed à lumine, quod per medium ad oculos vsque nostros deducitur. Quod si in tex. 69. lumen esse præsentiam dixit, in Commentario ad eum locum hæc verba interpretati sumus: eodemque intellectu loquuti sunt interdum Alexander.

Lumen quid.

Simplicius, alique Peripatetici.

Si igitur forma quæpiam sit, aut substantiæ fuerit, aut accidentis: Placuit nonnullis substantialem formam esse, tum cælestium, tum sublunarium; æris inquam, non ut aër est, sed ut perspicuus. At omnis substantiæ forma alteratione antecedente producitur, eiusque productione aliquid aliud interit. Nulla hæc præmittitur alteratio, nihil interit; sed accedente per localem motum corpore lucido, sola tenebrarum priuatio pellitur perspicuique potestas perficitur. Sed & absque subiecti interitu abest & adest: quod accidentis proprium est. Neque verò eadem esse potest cælorum & sublunarium substantia: illa omni ab interitu libera sunt, hæc singulis penè momentis mutantur, oriuntur, & pereunt. Atque in cælo aut nulla est substantiæ forma, aut eadem in toto reliquo orbe & astro: cum tamen solum astrum, non totus orbis, luceat: Et in quo orbe tam multæ visuntur lucentes stelle, quis tot credat esse substantiæ formas? Atqui substantia inter sensilia ex accidenti numeratur in tex 65. lumen autem per se sentitur, estque conspiciuum maximè; cuius beneficio conspicua euadant cætera omnia. Substantia non intenditur neque remittitur; lumen & magis est & minus intensum.

Lumen
an in-
corporeum.

Substantia igitur non est; siue corporea, siue multo minus incorporea. Nam & effluit à corpore, & ita suscipitur in corpore, ut cum eo extendatur, abeunteque lucido corpore perit. Verùm ita fortasse aliqui de eo loquuti sunt, ut incorporeum dixerint; quòd in perspicuis corporibus vel densissimis suscipiatur, ut ab illis pendere minimè videatur: itaque adfit, ut non insit; quia separabiliter adest, quemadmodum Priscianus Lydus loquitur in libro de Theophrasti de anima ca. 25. Lumen solis, inquit Iamblichus in libro de mysteriis cap. 7. idem totum continuum est vbiq;e, neque potest in partes diuidi, neque alicubi claudi, neque à fonte proprio separari, neque miscetur aëri, licet adfit. Et cap. 14. cælum asserit incorporeis rebus cognatissimum esse propter lucem: & fortasse cælum esse lumen ipsum sine materia & sine dimensione, etsi propter amplam eius præsentiam dimensio appareat. Quare cælum, inquit, est anima cæli seipsam accommodans oculis rebusque caducis; & lumen est intellectus eiusdem. Quod in lib. de dubiis animæ seu de visione capite 6. & 7. multis Plotinus persequitur. Immo quia est actus ab alio, etsi nullum subfit corpus; sed fingatur inane, perinde, inquit, subsistit atque ad aliud sese extendit, pertransitque à nullo vectum. Non esse autem in alio, argumento est, quòd abeunte eo, quod illuminat, in re illuminata non remanet. Est igitur actus ex subiecto quodam, nempe luminoso corpore, emicans, non tamen in subiectum transiens, sed subiectum potius, si adfit, sub eo aliquid patitur. Quemadmodum vita actus est animæ sub quo, si adfit corpus, aliquid patitur; at non præsentem corpore est nihilominus eiusmodi actus. Propterea illuminante remoto euanescit, quia non est factum proprium illuminati corporis, sed est actus corporis lucidi ad externa procedens: qui & adest & abest imago vitæ Cæli, ut in libro eius de pulchritudine Marsilius Ficinus interpretatur. Ita ut quod in cælesti vita intellectuale inest, sit in cælesti corpore luminosum, & sub luna velut illius imago.

A Et quoniam momento adest & abest, nec remanet illuminante subtrahito, neque simul cum corpore suscipiente inficitur aut mouetur, neque inter se confunduntur lumina: omnino deducitur non afficere perspicuum, nec aëris qualitatem esse, nec omnino corporeum quidquam; neque ab illuminato, sed ab illuminante pendere: sicut vita non ab animato, sed ab anima: neque demum tam ex corpore, quam ex mundi vite pronenite. Primum corpus est cæleste, prima huius qualitas lumen. Ideò vsque adeò perfecta, ut per modum actus potius, quam otiosæ qualitatis existat. Vt enim duplex est forma; quædam in ordine rerum à se ipsa consistens, quædam ab alio sustentata: sic & actus duplex, alter agentis dumtaxat formæ, alter in patiente iacens. Nam ut reliqua corpora vaporem aut eiusmodi aliquid ex se emittunt; ita cæleste (ut idem Ficinus in libro de cælo ex to. de rep. ratiocinatur) lumen vndequeque protendit per vniuersum mundum, velut mundanæ animæ visum, quo cernat omnia, tangat, foueat. Sphæra item solis animæ vitæ visus est, & alix sphæra cæterarum cælestium animarum. At stelle planetæque oculi sunt, tum visuales, tum visibiles; sphæra autem cætera oculi inuisiles. Sed & Iuliano Platonicum ex Iamblichi & Phœnicum mente lumen fuit diuinæ intelligentiæ perennis actus per solarem maxime fenestram ad oculos emicans. C per cuncta porrectus. Hæc est prima & generalis causa luminis omnis, tum cælestis, tum sublunaris. Secundaria verò & magis particularis anima mundi, tum singulæ singularum spherarum animæ. Suscipitur autem in perspicuis solum corporibus, ab opacis refugit: non quòd ea penetrare non possit (penetrat enim christallum multo solidius) sed quòd perspicua minus corporea sunt & materialia, terreaque natura corpulentior & obscurior cælesti, tum perspicua, tum luminosa, sit acientissima. Hæc ferme de luminis natura Platonicè.

D In quibus quod lumen accipiunt aëris qualitatem non esse; & ita perspicuis adest corporibus, ut illis non insit, post examinabitur. Iam intelligatur, cur incorporeum, non corporeum dixerint. Nam si propriè & accurate loquamur, neque corporeum esse, neque incorporeum, sed inter corporea & incorporea medium, velut cæli propriam qualitatem, cuius natura incorporeis proxima est, prudenter omnino ex eorumdem Platonicorum sententia monuit nos ille ipse, de quo loquuti sumus, Ficinus, in septimum Platonis de rep. librum. Quod non ita accipias, quasi inter corpoream & incorpoream naturam medium aliquid reperiat: sed quòd cum incorporeum non sit, à communi tamen & generatè cæterarum corporearum formarum conditione plurimum differt, atque cum illis comparatum videri potest incorporeum.

E Est igitur qualitas; tum quia corpora nominat qualia, ut solem lucidum, & perspicuum illuminatum; tum quia agendi vim habet, immò propria est cælestis corporis virtus, qua inferiora fouet, conseruat, & in ea omnino agit: quemadmodum calor, frigus, humor, & siccitas, virtutes elementorum sunt, quibus vicissim agant. Tum demum quia est per se sensibile & proprium vniuersi sensus, hoc est aspectus obiectum.

Eam porro in sole ac cæteris corporibus lucidis, ut in coloratis colores, re ipsa inesse, inter omnes

omnes video conuenire. At quemadmodum in
 aere, quod fit in aere aliisque corporibus interiectis, dum à lu-
 mine, ejus per ea dispergitur, non satis conuenit. Ete-
 nim Albertus & Egidius, immò & Scotus in 2.
 sent. librum distinct. 13. aliique nonnulli non se-
 cens ac colores multiplicari lumen voluerunt: ne-
 que re ipsa, sed intentione solum esse in aere aliis-
 que corporibus, velut lucis, quæ in lucido cor-
 pore residet, intentionalem speciem. Etenim fa-
 cultatem & medium, ve est in tex. 71. omni eo,
 quod sentiendum est, atque ut aspiciendis coloribus,
 ita & lumine, carere oportet; solumque illius
 speciem suscipere. Quoniam sensibile impostam
 sensui sensationem impedit potius, quam prouocet.
 Lumen autem in toto aere temporis momento
 producit, & extinguitur, reflectitur, & id genus
 habet alia, quæ specierum earum, non realium
 qualitarum propria esse videntur. Estque lux præ
 ceteris omnibus nobilissima qualitas, quam vix
 credi potest toties, immò continenter, oriri & in-
 terire in medio. Quæ res tantopere permouit Iu-
 lium Cæsarem Scaligerum vt in exer. 71. aduersus
 Cardanum religioni sibi duxerit arbitrari eam in-
 terire posse.

Caietanus verò exponens articulum 3. quæst. 67.
 primæ partis summæ sancti Thomæ, neque re, ne-
 que intentione, sed utroque modo eminenter esse:
 quod & calorem perinde gignat, ac si re; & aspe-
 ctu percipiatur, ac si intentione esset: subtiliter san-
 nè pronuntiauit. At neque quid hoc sit exponere
 potuit, neque sancto Thomæ tum eo loco, tum in
 comm. Iulius 2. de anima aliisque eiusdem scholæ
 discipulis consentaneè loquutus est.

Omnes enim realem qualitatem re ipsa per hæc
 omnia corpora dispersam agnoscunt. Tum quia re
 ipsa medium & organum afficit & nominat, aërem
 que aut oculum illuminatum dicimus: dum ab in-
 tentionali specie nihil affici aut nominari certum
 est: neque aërem aut oculi album appellari, pro-
 pterea quod alboris speciem susceperint. Tum quia
 calorem adfert effectusque realis realem causam
 esse oportet: intentionalis species nihil producit.
 Neque veniat in mentem tibi calor illius im-
 mediatum aut eorè esse solem. Non enim quodlibet
 lumen calefacit, sed reflexum, duplicatum, & om-
 ninò vehemens. Neque sol eodem semper modo
 calefacit, sed magis aut minus, vt magis aut minus
 reflectit lumen. Neque potest à lucido corpore
 tantopere à nobis distito realis in nobis calor pro-
 duci, nisi aliquid producendo in medio, per quod
 in remotiora agat corpora: quippe omnis actio
 contactu perficitur. Id verò species non fuerit, quæ
 nullius actionis vim habet: reale igitur lumen: aë-
 ris item lumen aspicimus, ab eoque magnopere
 permouetur hic sensus. Immo si vehementius fue-
 rit, non sustinet oculus; sed planè dissipatur & de-
 struitur: intentionalis species neque vt dictum est,
 agendi vim habet, neque per se sensibilis est; sed ratio
 sentiendi aliud: nimirum reale illud esse oportet,
 quod afficiat & moueat sensum, illiusque
 actionem terminet. Species tum obiectum prop-
 rium, à quo effluxit, representat; tum commu-
 nia cum proprio coniuncta, quantitatem, figuram,
 & alia superius commemorata. Omnia enim per
 vnam & eandem sentiuntur speciem. Si igitur aë-
 ris lumen species sit solaris lucis; dum illam, siue
 in aere, siue in alio quouis illuminato corpore in-

tuemur, solem, & quantitatem, figuram, cetera-
 que illius communia sensilia, non minus, quam in
 speculo intueremur. Iam lunæ lumen nonne à so-
 le mutuatum est, quemadmodum & aeris & cetero-
 rum illuminatorum corporum lumen? Luna igitur
 tantopere lucida tamque vehementer agens in
 hæc inferiora, vt omnino secundas post solem par-
 tes teneat, horum hominum sententia non fuerit
 re ipsa lucida: nec verum, sed intentionale lumen
 habuerit. Quòd si illud sit reale, erit & aeris & alio-
 rum omnium lumen aliunde acceptum. Et si to-
 ties in luna lumen illud & adest, & abest (non enim
 propriè corruptionem dicimus, vbi contrarium
 non est) quid dubitat religiosus homo Scaliger, ne
 in aere nimis sæpè gignatur & pereat? Denique
 quàm est incertum ac dubium, an vllæ omnino in
 tota rerum vniuersitate sint eæ species: vt illos ego
 magnopere miter, qui eas in illum quoque locum
 conantur inuehere, cui minimè necessaria sunt.
 Nam colores quidem re ipsa multiplicare se ne-
 queant, quòd agendi virtute non sint præditi: at
 lumen potest. Atque vt ad percipiendos colores
 aerem illuminari oportet, ita & ad percipiendum
 lumen: & vt suscipiatur in oculo, necesse est fit in
 medio, quia non nisi per medium potest ad ocu-
 lum peruenire. In oculo autem suscepto lumine
 cernitur adhuc aeris alteriusque corporis lumen in-
 tensius ac robustius. Propterea vt acutè cernamus,
 manu oculum obumbramus: & nocte stellas &
 quodlibet vel tenuissimum lumen videmus, quod
 horis diurnis non cernebamur. Color per se sensi-
 bilis est, ac sine lumine non sentitur: lumen & per se
 sensationis actum terminat, & sine alio sentiri po-
 test. Color & lumine indiget, & vt illi sentiunt, in-
 tentionali specie: lumen aut se ipso cernitur, aut
 posterior illius pars priorem, à qua pendet, repræ-
 sentandi vim habet. Quattuor ille principes qua-
 litates, calor, frigus, humor, & siccitas, re ipsa mul-
 tiplicant se alterando: colores aut intentionali-
 ter solum, aut nullo modo. Soni & odores re ip-
 sa sanè, sed locali motu, non alteratione, qua si-
 bi simile gignant: lumen diuinissima omnium
 qualitas, tum re ipsa, quòd actiua sit; tum inten-
 tionaliter, quòd minimè materialis ac propemo-
 dum spiritalis: non tamen per speciem sui, quia
 vbi realis est qualitas, opus specie non est: sed sui
 ipsius representatione. Eadem illius spiritalis fe-
 rè conditio facit, vt & tam facillè gignatur & pe-
 eat. Ferè enim à lucido corpore pendet totum, vix
 à subiecto corpore. Et inuento opaci tamquam
 hostilis corporis impedimento, facillè se con-
 uertat atque ad suum principium & fontem re-
 deat.

Itaque lux, lumen, radius, iubar, & splendor
 seu fulgor, ita in eadem natura nominantur, vt
 lux in proprio ac naturali subiecto, corpore scilicet
 lucido, consideretur: lumen in alieno vnde
 de quaque effusum: radius, si per lineam rectam
 effundatur. Est autem radius, aut rectus, si rectè
 protendatur: aut reflexus, si ab opaco corpore
 redeat; vterque aut perpendicularis, aut acu-
 tus, aut obtusus. Radium autem magnum & ple-
 num significat iubar. Postremò splendorem aut
 fulgorem dicimus, si in opaco corpore densetur at-
 que ad positum quidpiam tersum, vt aurum aut ar-
 gentum, reflexione oriatur.

Sanè vniuersam luminis naturam ad habitum

Lux.

Lumen.
Radius.Iubar.
Splendor.

& dispositionem pertinere perquam probabile iudicavit Albertus, quod in cælo sit veluti habitus fixus & permanens, in sublunariis transiens dispositio. Satius tamen est in tertia qualitatum specie ponere, quæ patibilium qualitatum est & passionum. Per se namque sensibilis est sensuique passionem adfert: immò & realem corporibus cæteris passionem, lumen & calorem producendo. Quod si habitum Philosophus appellavit; habitum dixit formam & positivum quiddam, cui tenebras & privationem opposuit.

Luminis
stantia.

Omnia præstantissima ac profus diuina qualitas lumen est. neque in tota natura inueniri potuit alia, quæ cum ea posset contendere atque æquo iure certare. Cælestis enim corporis, primi ac supremi agentis, cui nihil contrarium, qualitas est; quæ vniuersum hunc inferiorem mundum foueat, conseruet, omnique ex parte moderetur. Diuinum quiddam in ea inesse, quo cæteris omnibus qualitibus præstet, fatentur omnes. Inter Pythagoræ symbola illud est; De rebus diuinis absque lumine ne loquaris. Et in libro de reipub. Plato lumen visus & visibilis obiecti nexum esse omnium maxime honorandum (libro 10. vinculum cæli appellat) solemque lucis parentem ipsius boni filium esse. hoc est dei quia ipsum in mundo sensibili principem posuit; vt eundem in eo teneret locum, quem ipse in intellectu mundo teneret. Deus enim primum est intellectibile, sol primum sensibile. Et in Timæo ignem, quia est lucidus, diuini animalis speciem esse. Ex Platonis non pauca paulò ante commemorata sunt: plura apud ipsos passim reperias. Et ex nostris Areopagita Dionysius in libris de cælesti Hierarchia, deque diuinis nominibus scriptum reliquit, lumen vestigium esse cælestium rerum; neque vllam esse in rebus corporeis qualitatem, quæ Deum tantopere repræsentet. Quid pulchritudo & ornatus, quem rebus omnibus adfert? sordent nocte omnia, clarescunt & splendent multoque pulchriora die visuntur. Mœrent in tenebris animalia cuncta; redeunt lumine lætantur & gestunt: nec animalia modò, sed quæ sensu carent, plantæ & stirpes: quasi commune bonum ac diuinum quiddam sibi totique mundo gratulentur. Qualitatem scilicet eam, ex qua omnis vita, conseruatio, & perfectio pendet: Dei planè virtutem dixeris regentem atque administrantem omnia. Prior enim est qualitibus cæteris, totaque inferiori natura; & vim quoque habet illas ipsas qualitates producendi, quæ omnium principes & aliarum causæ existimantur; à quibus sublunares res omnes gubernantur ac sustentantur. Sola in primo, supremo, ac diuinissimo omnium cælesti corpore reperitur tamquam illius & intelligentiæ virtus maxime propria. Propriam videtur, qua nunquam deserat, habere figuram; radium inquam, quem vocant: qui si in opacum corpus incidit, reflectitur, refrangitur. Cæteræ qualitates nec reflectuntur, nec refranguntur, nec propriam figuram habent; sed materiæ & subiecti, in quo suscipiuntur, figuram sequuntur. Neque verò in corpore quouis suscipitur, sed in eo velut dispositionem perspicuitatem requirit, quæ nescio quid habet spiritale: Aristotelis testimonio in textu 40. libri quarti Phys. aër, quia perspicuus, nihil esse apparet. Est etiam nobilissimi sensus obiectum, immò & medium: siquidem & ipsum videtur, & ratio est videndi aliud. Quodque illius naturam ostendit maxime, omnino pendet semper ab agente, tum vt producatur, tum vt conseruetur: quod alia nulla qualitas habet. Accedente namque corpore lucido, illuminantur omnia, eoque abeunte totum euanescit lumen: quasi nihil à materiæ & subiecto, sed totum ab agente pendeat.

Ita tum ob hanc causam, tum quia contrarium non habet, producitur subito in toto aère; & quidem vbi que eodem modo; vt Aristoteles tum hoc loco, tum in libro de sensu & sensibili capite 7. confirmat. eodem enim temporis momento, quo sol aliquod cæli punctum attingit, corpora omnia perspicua illuminat, quæ præsentia sunt; tamquam intensum, quàm potest, lumen momento eodem tribuit. Et si lucidum corpus crearetur, momento eodem, quo crearetur, præsentia sibi omnia illuminaret. In cæteris qualitibus & contrarium & materialis earum conditio moram productionis adfert.

Aliis tamen ex causis lumen quoque cum successione & tempore produci potest. Sive quod lucidum corpus sensim & cum successione perficiatur: quemadmodum si materiæ quædam successiue ignescat, cum successione item euadet lucida: sive medium, in quo suscipi lumen debet, paulatim & non totum simul, aut intensiue, aut extensiue, perficiatur. Nam si aër crassus nunc vaporibus plenus ab illis sensim purgetur, aut alio atque aliis partibus adueniat lumen; successione nimirum illuminatio habebit. In sole & candela, quæ circumferuntur, vtramque videas illuminationis successione ex illuminantis corporis locali motu profectam. Nam & idem lumen a quo intensum in diuersis partibus producitur, ad quas corpus accedit: & pars remotior, quæ minus illuminabatur, accedente corpore copiosius accipit lumen.

Cum enim lumen suapte natura intentionem habeat & remissionem, possitque & clarius & obscurius esse; si quid accedat, quod moram adfert, potest cum mora produci. Alioqui propemodum spiritalis & contrario carens natura subito producitur.

Vnum est, quod admirationem pariat; quò fieri possit, vt momento vnico ex tanta aëris vastitate tamque multis illius corporis partibus educatur lumen. Nec immeritò affirmasse videatur Democritus produci cum tempore. Scio communem pendè Philosophorum nostri temporis sententiam esse, lumen luminosi corporis virtute luminisque ipsius actione ex potestate materiæ aëris & aliorum perspicuorum corporum educi; ex partibus primùm propinquis, deinde & remotioribus; vt & in caloris & aliarum similium qualitatum alteratione fit. Quod duobus præcipue argumentis concludi videtur. Altero; quia nisi ex horum corporum potestate educeretur, crearetur nimirum atque ex nihilo produceretur. Altero; quoniam cum lumen accedens sit, omnino inherere debet atque in aliquo sustentari; & verò in corpore lucido vt in subiecto proprio & naturali inheret. Nisi igitur ex perspicui potestate educatur, sed à lucido corpore effundatur; ex vno in aliud subiectum migrabit: quod accidentis natura non sustinet.

Communem hanc existimationem, ego vt debeo libenter

libenter veneror, & amplector. Sed non parum laudarem illius industriam, qui mecum vellet ingenium exercere suum, vireque illius periclitari: diuissimam hanc inueniens qualitatem absque vilo causali materiae concursu ad illius educationem, sed solum ad susceptionem, à solo lucido produci corpore; atque in hoc dignitatem eius atque immaterialitatem versari; vt cum ad ceterarum omnium materialium formarum productionem non solum agentis virtus, sed materiae quoque concurrat; lumen sola agentis fecunditate in materiam tanquam in vas & susceptaculum effundatur. Hoc enim effusio ab educatione differt, quod educio sit noua productio alicuius ex aliquo; effusio autem praesistentis rei communicatio ab aliquo, quod eam possideat.

Hoc modo produci lumen, nisi ego magnopere fallor, senserunt veteres, tum Platonici, tum Peripatetici. Apud Platonicos ortum hinc habuit opinio illa, visionem extramissionem fieri. Ex oculis enim inquit in Timæo Plato, emanat lumen & euolat occurritque diurno lumini; aut si non occurrit, extinguitur & euanescit; vt in tenebris. Huc verò ea omnia spectant, quae ex eadem schola superioris commemorata sunt: lumen in corporeum esse; adesse, sed non inelle perspicuis corporibus; separabiliter adesse; non misceri aëri; à proprio fonte non separari; aëris qualitatem non esse, sed illuminantis actum ad externa procedentem; non ab illuminato, sed ab illuminante pendere; ab eoque emitti, vt à ceteris corporibus exhalat vapor; esse velut mundantem animam ac ceterarum visum, quo cuncta tangunt, cernunt, fouent; esse actum diuinae intelligentiae per solares fenestras ad oculos emicantem & per cuncta porrectum; penetrare perspicua & ab opacis refringere; ac denum illud Plotini, etiam si nullum sublit corpus, sed fingatur inane, perinde inquit subsistit, & ad alia sese extendit, pertransibitque à nullo vectum, & Maximus quoque Tyrinus ser. 17. defluentem à sole lumen ceni dixit.

Iam Prisciani Lydi verba libet adscribere, quod non sententiam modò, sed & confirmationem eius contineant. In Theophrastum de anima cap. 19. Iamblichum, inquit, sequens neque corpus esse lumen existimo, neque corporis alicuius passionem, vel qualitatem. Lumen enim esse suum non habet in aëre. Nam aëre motu lumen permanet, & aëre multifariam permutato lumen suo in se impetu inde discedit, seruatque interea indissolubilem cum sua causa connexionem. Ipsa quinetiam huius similitudo tota praesentia per omnia accipere id valentia subito facta; praesente videlicet eo, quod illuminat; & iterum abeunte repentina defectio luminis nullum ibi sui vestigium relinquentis; argumento nobis esse potest, lumen non esse aëris passionem. Passiones, velut calor, nec accedunt subito; & igne submoto calor eius exiguum saltem sui speciem in patiente relinquit. Constat praeterea ipsum luminis actum esse à corporibus separatim; quia neque successione gradatim progrediente, neque permutatione subiecti vsquã accedit, neque ad certum vsque terminum cohibetur; sed diffundit se ipsum quousque offendit aliquid, quod possit accipere. Neque vnquam lumina inuicem confunduntur atque componuntur. Quo igitur modo lumen actus diaphani nominatur? Perfecto non

vt passio quaedam, nec vt perfectio eius in eo velut subiecto facta; sed tanquam separabiliter ipsum perficiens; neque luminosus hic actus aliquando fit diaphani, sed efficit potius, vt diaphanum sit ipsius permanens, ipse interim illuminanti continuus atque cum eo vndique circumductus. Hoc igitur ita summam commemoratum, ne forsitan sicut in aliis patientibus aliquid effici solet, similiter lumen in aliquo fieri vel suscipi suspicemur. Hæc Priscianus, qui de Peripateticis sanè secus iudicauit.

Ego tamen eos passim asserentes video lumen in aëre non gigni more materiae, sed praesentia sola luminis in perspicuo, velut actum & perfectionem ipsius; voceque collustrationis vtentes, quae luminis diffusionem significat. Hæc apud Alexandrum reperies in primo libro de anima capite 12. Immo in secundo libro capite 38. perspicuum potestate non ita suscipere lumen, vt ipsum alteretur, sed sola luminis praesentia fieri actum; neque omnino à lumine pati, neque lumen illius affectionem esse. Eandem solam luminis praesentiam in perspicuo, quae ea, quae perficiunt, adesse illis dicuntur, quibus perfectionem & ornatum adferunt; habet Themistius in hoc secundo libro capite 22. & 23. Simplicius verò in com. tex. 75. lib. 1. habet hæc verba. Lumen aëri aduenit, non ex aliqua ipsius transmutatione factum; vt eius indicat praesentia & absentia nullum secum attrahens tempus; sed extrinsecus aduenit. & secundo libro in com. tex. 67. Lumen esse incorporeum, neque perspicui passionem, sed actum illi ingentum; non vt in subiecto, sed qui separabiliter adfit; vel etiam argumentis ostendit. tum quia per totum perspicuum penetrat. tum quia momento adest & abest; passiones autem cum tempore gignuntur & pereunt. Et textu 68. lumen, inquit, est actus perspicui, qui ipsum perficiat, ac non qui ab ipso deueniat. Et tex. 69. non est actus perspicui tanquam ab ipso, sed vt actus, qui ipsum perficit.

Et cum Aristoteles lumen dixisset ignis aut alicuius huiusmodi praesentiam esse in perspicuo; praesentiam, inquit, intelligit non localem, sed ipsius suscipientis perfectiorem, idque iuxta illuminantis efficacem actionem, quae in passionem non terminat, sed in actionem tantum. & rursus in commentario tex. 18. lib. 3. cum intellectum agentem dixisset Philosophus habitui & lumini perspicuum esse, magis accommodatum esse dixit exemplum luminis, quam habitus; quoniam habitus ab eo, qui eum habet, inseparabilis est; lumen verò est illuminata rei adfit, est tamen tanquam actus, qui ab eo separatur, quod illud recepit. Nam & intellectus separabilis est. Ac denum in Commentariis libri secundi de celo cum dixisset Philosophus in textu 42. ab astris excitari calorem motu aërem atterente; is à sole ac sideribus ceteris intelligi voluit luminis radios effluere, aëremque collidere & atterere. Eandem quaestionem pertractans Philoponus in degredione ad textum 69. huius libri de anima; Qui fiat, vt cum sol calidus non sit, nec eius radij corpora sint; aërem tamen tantopere calefaciant, & in ignitatis etiam ignem accendant: hanc prorsus habet responsionem. Quemadmodum ab anima caloris omnis experte vitalis calor, in corpore proficitur, qui calorem insitum mouens viuificat ani-

malis spiritibus. Hæc verò illi non minus, quam

mal & calefacit: sic à sole vitalis luminis actus in aërem proficiscitur, quo insitum aëris calorem excitante ac mouente calefcit aër. Nam & ira non calida sanguinem circa cor concitante accenditur animal: curaque & sollicitudo animi & vehemens cogitatio calorem auget. Reflexum verò lumen maiorem calorem facit, quòd geminentur radij: meridieque & æstate calidior est aër, quòd longiore mora plures actus à sole promantur atque à corporibus reflectantur. Idem auctor in com. tex. 80. lumen asserit prorsus esse à corpore absolutum atque ab opacis corporibus per se absque corpore reflecti.

Hæc & alia plurima, quæ facillè diligens lector obseruabit, planè ostendunt, quam illi de luminis natura & productione sententiam habuerint. Sed quid Aristotelis illud in tex. 68. perspicuum, inquit, aspectabile est propter externum colorem. Si Prisciani interpretationem teneas, externum colorem appellari lumen; illud habebis non ex perspicui gremio pullulare, sed ab illuminante sole immitti. Prisciani locum indicauimus in commentario. Est & illud in tex. 69. Lumen ut color est perspicui. Et illud; Lumen est præsentia in perspicuo. De quibus in commentariis ex Simplicij sententia dictum est.

Quòd si non tam testium multitudine, quam rationum momentis agendum sit; offerunt se statim ea omnia, quæ non multò ante immaterialitatem & præstantiam qualitatis huius ostendebant. Primum enim cum prior sit cæteris omnibus, tum qualitibus, tum corporibus, tanquam cæli & intelligentiarum, virtus qua sub lunare hunc mundum administrant: rationi consentaneum est esse aliquid, quod ab inferioribus hisce non pendeat; neque ab illis accipiat esse, sed illis omnibus adferat. Non ut illorum aliquid, sed ut superioris quidpiam agentis; quòd in illis eam solam ob causam suscipiatur, ut gignat, foueat, & conseruet omnia. Idcirco nec contaminatur, quamuis inficiatur subiectum. Deinde qualitas est cælestis corporis propria. At in cælo eam constare ex materia potestate non educi, quòd mutabilis ea materia non sit: sed corporis naturam consequi & in perspicuum immitti. Itaque ut à sole deriuatur ad lunam & sydera cætera, perque totum cæleste perspicuum ad nos descendit; nec tamen ex eorum educitur corporum potestate, sed in illis dumtaxat suscipitur: ita de cæteris quoque existimare oportet. Atque ut alia materiae conditio & natura in cælestibus inest, alia in sublunariis; ita cælestes qualitates non videntur ex materiae sublunaris potestate educi posse. Tum verò contrarietas accedit, quæ in omnibus qualitibus ex materia potestate educis obseruatur. Verè namque in capite secundo libri de longit. & breuit. vitæ scriptum est, impossibile esse formam, quæ sit in materia, contrarium non habere. In lumine nulla est, quòd ab agente solo pendeat, quod ab omni contrarietate liberum est: cæleste autem lumen lumina cætera imitantur. Nulla item qualitas aut forma figuram aliam habet, quam subiecti, à quo suam naturam accipit. Lumen figuram non subit corporum, in quibus suscipitur, sed propriam semper retinet illuminantis corporis. Unde propositio illa, quæ apud Vitellionem est trigesima nona libri secundi. Incidentiæ radio-

se luminis per foramina angularia ingressæ ad mediocrem distantiam sunt figuræ rotundæ: quia à sole corpus illuminans rotundum est. Accedit subita & momentanea productio. Nam quæcum subiecti passione producuntur, sensim & cum tempore aliquo producuntur, sensim quòd lumen etsi contrarietate careat, graduum tamen latitudinem habet, quæ motam adferret. Neque materia tota est applicata agentis, sed vna pars remotior, quam alia; atque ex vna prius, quam ex alia parte, educeretur. Qualitates etiam omnes, quæ producuntur ex materia, ab ea quoque pendunt, possentque aliquandiu in ea retineri & conseruari. Lumen illuminante remoto illico euanescit; neque vel tenuissimo tempore retinetur; nec vllum sui vestigium relinquit. Solum inter omnes qualitates reflectitur, atque in seipsum & ad suum principium redit. Hoc materiae cuius affectio est quantitas, rebusque cum materia coniunctis plane aduerlat; & iis solis conuenit, quæ aliunde suam naturam habent. Si enim qualitas ex materiaeducta reflecteretur, aut materia quoque & subiecti quantitas reflecteretur, aut qualitas essentialiter à materia & subiecto pendens ex vno in aliud subiectum migraret. Adde, quòd, ut argumentabatur inter cæteros Priscianus, aër remoto non remouetur lumen, & rursum, quiescente aëre mouetur lumen, si corpus illuminans moueatur. At qui fieri possit, ut accidentaria præsertim forma, si pendeat ex subiecto, aut non simul cum illo aut sine illo moueatur? Ad extremum huius rei certissimum indicium fuerit, quòd plurimum illuminantium corporum lumina in eodem perspicuo suscepta minimè confundantur neque permisceantur, quod nec in cæteris qualitibus euenit, nec omnino eueniret in lumine, si ex materia educeretur ut cætera; & non potius singulari priuilegio à solo illuminante naturam totam & vim haberet.

His nimirum argumentis disputari posset. Quæ verò ab iis, qui secus opinantur, obiciuntur, hæc habere explicationem. Crearetur, inquit, nisi ex materiae gremio emeretur. Intelligentiam creationem esse nouam rei, quæ non erat, ex nihilo productionem: lumen autem non produci de nouo, sed quod erat in corpore lucido, de nouo suscipi in perspicuo, quod ad illud suscipiendum, non producendum, fuerat potestate. At si ita est, ex vno in aliud subiectum migrabit. Fateor. Quòd non videbitur illi mirum, qui Simplicij & Ammonij com. in categoriarum li. perlegerit. Dum enim eorum definitionem interpretantur, quæ sunt in subiecto; propositam odoris dubitationem, qui ex odorifero prodiens corpore per aërem spargitur, duobus modis exponunt. Primum. Aristoteles inquit Simplicius, non dicit non posse odorem separari ab eo, in quo erat; sed ab eo, in quo est. Nam etsi ab aliquo subiecto deflecteret, cum vniuersus ipsi sit continuus, aut contactus, aut vnione, potest in aliis subiectis sese recipere, cum nullum vacuum adsit. Quisquam alteram adferunt solutionem, non odorem solum, sed cum fumoso halitu ut proprio subiecto diffundi. Sed interim satis est, nec absurdum, nec impossibile eos iudicasse, accidens ex vno in aliud subiectum transire. Atque ad huius confirmationem post adferretur eiusdè Simplicij, Philoponi, ac Plotini sententia, sonu quoque linea aëris moui ad maximam distantiam spargi, sola virtute atque efficacitate

efficacitate primi motus, quo à sonantibus corporibus fuit productus. Itaque si odores & sonos concedant illi ex vno in aliud subiectum transire; multò minus mirum videbitur, si de lumine minus materiali accidente id affirmetur. Propterea namque non possunt cetera ex vno ad aliud subiectum transire; quòd cum ab eorum vno acceperint quidquid sunt, nimirum separatio ab illo interius eorum est. Et quòd materialia sunt, necesse est, vt sint, educantur ex materia; neque in eo subiecto esse possunt, ex cuius materia non fuerunt educta. Lumen accidens quidem est, egèrque semper subiecto, cui imitatur: at diuiniore atque immaterialis magis nature est; nec aliam ob causam materiale vocatur, nisi quòd materialis corporis proprietates sit atque in materia suscipiatur. Ea enim conditione à solo corpore lucido accipit esse, vt ab eo effundi semper in alia corpora debeat; sicut aqua continenter ex fonte fluit: estque lucidum corpus quasi fons lucis. Quod nomen ipsum significat.

Lucidum enim dicitur, quòd alijs lucet, corporibusque ceteris impartitur lumen: & illuminatio atque irradiatio, luminis influxum testantur. Propterea non nisi perspicua illuminationem irradiationemque suscipiunt: cetera rejiciunt ac reflectunt. Illa enim penetrant ac peradiant luminis radij; hæc non item. Alioqui si illuminatio alteratione consistet, vt calefactio, quemadmodum calor ex quolibet corpore, vel repugnantissimo, superatis qualitatibus contrarijs tandem educitur; ita & lumen diuturniore actione posset ex cuiusvis corporis potestate educi. Iam verò propterea non illuminantur opaca, quòd luminis radij penetrare nequeant; inuentaque opacitatis resistentia resiliunt & reflectantur. Quamuis igitur aëri perspicuisque corporibus, in quibus suscipitur, inhæreat lumen, quia accidens est: quoniam tamen illius natura non ab illis pendet, sed à solo corpore lucido, quòd ad vteriora projicit corpora, aut secum ab alijs ad alia transfert; nihil mirum, si alia atque alia subiecta mutet. Magis omnino mirandum esset, si secus accideret, remaneretque in perspicuo, à quo minimè pendet, separatum à fonte, quem vnicum sui auctorem, parentem, & conservatorem habet.

Verum enim verò siue lumen ex solo illuminante procedat, siue etiam ex perspicui potestate educatur; non debuisset Albertus in summa de homine, quem nonnulli post sequuti sunt, solis lucem lumenque ab eo in sublunariis corporibus productum affirmare diuersæ speciei esse. Nam & sensus obiecti sui optimus estimator secus iudicat; neque aliam, quam intensionis ac remissionis, differentiam agnoscit. Et in textu sexagesimo octavo, eandem perspicui naturam, tum in celo, tum in ceteris, Philosophus esse pronuntiauit, eandemque luminis quoque fuerit, quòd perspicui actus esse definitur. Est etiam eadem virtutisque luminis definitio, subiectum solum diuersum: & luna quoque & alia cetera non minus, quam sublunaria, lumen à sole accipiunt. Perinde autem fuerit, siue ex potestate perspicui educatur, siue ab illuminante solo procedat. Educatio enim ex materia

A qualitatis eiusdem speciei opus est, dum id, quod habet lucem, propinquam sibi partem alterat. Neque calorem in igne & aqua differre specie dixeris, etsi in illo vt in naturali subiecto sit, in hac non item. Quòd si ex materia educendum non sit, idem prorsus lumen, quod erat in sole, in perspicuis mox corporibus reperitur. Nam propositio illa libri duodecimi Metaphysic. textu 26. corruptibile & incorruptibile differunt genere, de substantijs, non de accidentibus, pronuntiata est. Quippe ex natura substantiæ oritur, vt res corruptibilis sit aut incorruptibilis. Et hæc Philosophus differre dixit genere, quia vel sunt substantia, vel ex rei substantia oriuntur. Neque solis modo & sublunaris perspicui, sed quorumcumque lucidorum corporum lumina eiusdem speciei sunt. Lumen inquam ignis, squamarum & capitum piscium, oculorum quorundam animalium, lapidum, cicendelar, & caliorum, si que lucentia sunt; de quibus Albertus in tractatu 2. huius lib. cap. 12.

Illud iam explicandum superest, quòd non multò ante accepimus, plurium corporum lucidorum lumina in perspicuo eodem suscepta non permisceri neque confundi. Non enim desunt qui non minus, quam ceteras in eodem subiecto qualitates, permisceri & in vnam confundi putent. Tum quòd ex eiusdem corporis potestate educuntur. Tum quòd cum indiuiduationis accidentium principium sit subiectum; plura numero solum distincta in eodem subiecto simul esse non possunt. Tum quòd accedente lumine crescere illud videmus & intendi, quòd prius erat in aëre: quemadmodum intenditur calor calore addito.

Ego verò antiquiores antea commemoratos & Alexandrum in Comment. octauo libri, de sensu & sensili, Perspectiuosque omnes sequutus omnino secus sentio. Alioqui tot in eodem subiecto distincta minimèque permixta lumina reperiri, quot illuminantia fuerint corpora. Primum enim hoc ex tota superiori disputatione consequens est; in qua confectum fuit, non ex subiecti perspicui potestate lumen educi, sed à lucido corpore totum effundi, ab eoque solo pendere. Deinde verò ex eo manifestum est, quòd si tribus aut pluribus luminibus vnum opponatur corpus oppacum, totidem in oppositum vmbre resultant. Etsi tribus pluribusque candelis ingens opponatur tabula, in cuius medio sit foramen, tria in oppositum resiliunt lumina non confusa; vnum in rectum, & duo reliqua è transuerso se se vicissim interfecantia. Quòd si ea, vbi concurrunt, permiscerent; non tria distincta, sed vnum commune lumen intensius projiceretur vterius. Immo verò si ita esset, posset lumen in infinitum intendi, accidentibus alijs atque alijs corporibus lucidis, quorum vnum quodque aliquot luminis gradus adferret: aut etiam vnus lucidissimi corporis lumine sapius reflexo. Sanè qui colorum species intentionales admittunt, permisceri eas aut confundi negant; etsi ex materie potestate educantur.

Quamuis enim accidentia ea, que totam suam naturam, & ideò vnitatem, habent à materia, nequeat plura numero solum diuersa in eodem subiecto esse: que tamè ex alijs potius causis pendunt & vultu immaterialia sunt, ex illis quoque vnitatem accipiunt. Quare cum lumen ab illuminante effundatur;

HHH

Plura lumina non permisceri.

aurem vix aspectabile, quando aliquod quidem, sed tenuissimum, lumen habet; vt in non tan-
topere obiecta nocte, vel circa matutinum aut ves-
perinum crepusculum. Quae posterior interpre-
tatio magis est Aristoteli consentanea. Nam in
textu 96. 103. & 120. cum aspectum dicit aspecta-
bilis, obiecti esse & inaspectabilis, auditum audi-
bilis & inaudibilis, odoratum; odorabilis & inodo-
rabilis, eodemque modo reliquos sensus: inaspe-
ctabile, inaudibile, & inodorabile multis modis
dici posse declarabit. Aut enim id dicitur, quod
nullo modo aspicitur, audiri, & odorari potest,
quod nullum habeat lumen aut colorem, nul-
lum sonum, aut odorem: aut id, quod aegre & vix
sensibus hinc percipi potest. Hocque rursum duo-
bus modis: aut quod paruum & prauum odorem
habeat, sonum, aut colorem: aut quod nimium sit
vehemens, neque à sentiente virtute sustineri facile
queat, quemadmodum eximia solis lux, aut vehe-
mentior quispiam sonus, aut odor. Horum enim
vtrumque obiectum inaspectabile dicitur, aut in-
sensibile; quoniam aut illius motum omnino non su-
stinet sensus, aut non sine difficultate sensusque læ-
sione sentitur. Quod si ita est, ad rem presentem
pertinet perspicuum sine colore, hoc est sine lu-
mine, interpretari inaspectabile primo modo, quod
nullum habeat lumen; aut vix aspectabile postero-
re modo, quod paruum addit lumen. Tertius
autem ille, quo id aspicitur non potest, quod nimio lu-
mine sentientem virtutem superat; ad perspicuum
potestate non pertinet, sed ad illud, quod actu est
per lumen: nunquam de perspicuo potestate sermo
est: atque hoc est inaspectabile ex sua natura, & te-
nebrosum. Nam cum lucis & tenebrarum capax sit,
interdum illuminatum est, interdum tenebrosum;
interdum actum interdum potestate. Sed sine lumen
habeat, siue tenebras; siue actu sit, siue potestate;
eadem semper est ipsius natura.

Porro hoc loco non possum non monere lecto-
rem veritatis studiosum, vt hanc Philosophi demō-
strationem obseruet; ac indicet, num in visione a-
liisque sensibus intentionales ipse formas posuerit.
Demonstrat debere colore carere id, quod colores
debet suscipere, siue medium sit, siue organum; eo-
demque modo in alijs sensibus. Medium demon-
strationis est, colores suscipere. Tam si suscipiantur
colores intentionales, quatuor terminis demon-
stratio constabit: si quidem medium supponit pro colo-
re intentionali, & conclusio pro colore reali, eritque
fallacia dictionis. Optima verò demonstratio; si
vbi que sit sermo de colore reali; qui & in medio per
motum ab obiecto factum, & in organo per cogni-
tionis actum suscipiatur.

DIGRESSIO XXXVIII.

Quomodo sensuum obiectorum priuationes
cognoscantur.

Quoniam Philosophus tenebrosum perspi-
cium inaspectabile esse affirmavit, aut cer-
te si aspicitur, aegre & vix aspicitur: locus postu-
lat, vt paucis declararetur, quomodo tenebrae ac
reliquae obiectorum sensuum priuationes cognos-
cantur.

A Per se quidem eas non sentiri, manifestum est.
Tum quia ita facultates per actus & obiecta con-
stituantur & distinguuntur, vt adequatum realis
facultatis obiectum, extra quod nihil ipsa cognos-
cat, reale ac positium esse oporteat. Tum quia
sola ea per se sentiuntur, à quibus patitur sensus
& mutatur: à priuatione autem, quae est non
ens, pati & mutari planè non potest. Ex acciden-
te igitur cognoscuntur; Quatenus sensus à proprio
obiecto non mouetur. Propterea cum hanc qua-
stionem proposuisset Priscianus in librum Theo-
phraiti de anima cap. II. Respondendum est, in-
quit, sensum non tam sentire quam consentire, ne-
quiti siquidem talibus, sed ex eo, quod in his actio in-
hibetur, in ipso conatu sensum iudicare quod deficit
ipsis, & capite vigesimo, tenebrae non sunt visi-
biles.

B Non enim sentimus eas quopiam intuitus firma-
mento; sed priuatione cernendi; atque eo, quod
minimè videamus. Hoc à singulis sensibus animad-
ueriti, eorumque vnumquemque obiecti sui ab-
sentiam & priuationem cognoscere, interpretari
sunt Themistius, Philoponus, & Simplicius, cum
hoc locutum in Com. ad tex. 96. 103. & 138. & Philo-
ponus etiam in Commentario tex. 106. & 107. Sed
Aristoteli partim & rationi minus consentaneè.

C Namque Aristoteles dum in libro de Somno & Vi-
gilia, capite secundo, ita loquutus est: Quoniam
autem existit secundum vnumquemque sensum,
hoc quidem aliquid proprium, illud verò aliquid
commune: proprium quidem, vt visui videre, au-
ditui audire, & alijs eodem modo. Est autem &
quaedam communis facultas sequens omnes, qua
& quod videt & audit, sentit. Non enim visui
quidem videt quod videt, & iudicat vtrique, &
potest discernere, quod alia quidem dulcia sunt
ab albis, nec gustatu, nec visu, nec ambobus,
sed communi quadam particula omnium sensorio-
rum. Planè affirmavit, nos non particulari sensu, sed
communi; cognoscere nos videre aut audire.

D Duplicem namque distinguit communis sensus
actionem, quae à particularibus sensibus nequeat
proficisci. Altera est, cognoscere illorum sen-
suum operationem: Altera, obiecti sui à reli-
quorum sensuum obiectis differentiam animad-
uertere. Si igitur nos videre & audire atque om-
nino operari, non particulari sensu, sed com-
muni cognoscimus, eodem quoque, non par-
ticulari aliquo, cognoscemus nos non videre
aut non audire, aut penitus non operari. Quo-
circa si propterea tenebras aut cuiusvis obiecti
priuationem cognoscimus, quod cognoscimus
nos non videre, neque omnino sentire: Id sanè
non particulari aliquo sensu, sed communi cognos-
cimus.

Quò etiam illud spectet, quòd in cap. I. eiusdem
libri, sonnum & vigiliam ad communem sensum
pertinere hoc argumento probauit, quoniam hæc
velut priuatio & habitus opponuntur, oppositaque
in eodem versantur & fiunt.

Sed & ratio necessaria demonstrat, sentientem
nullam facultatem, quippe quae materialis sem-
per sit & quanta, posse in seipsam redire, vt se
operationemque suam cognoscat: sed hoc solius
intellectus aut separatarum mentium, quae nullum
habent cum materia & quantitate commercium, esse
proprium.